

2. K. 264/19 x 2054278

Z d  
2198



ORATIO ENCOMIASICA  
MEMORIAE

LVDOVICI PERSON

IURECONSULTI EXCEL-  
LENTISSIMI, JURIS PROFESSORIS  
in inelyta Academia VVittebergenfi  
Clarissimi, Serenissimo Principi ac Dn.  
Dn. CHRISTIANO II. Duci Saxoniae  
S. R. L. Archimarchallo & Electori &c.  
à consilijs aulicis dignissimi, 14 Ca-  
lend. Novemb. Anno Christi  
M. DC. VII. Dresdae pie  
defuncti

*Dicata & Habita publice*

*VVittebergae eodem anno tertiâ feria  
Natiuitatis Christi*

AB ANDREA FRANCKENBERGERO  
bon: artium & Juris studioso.

*VV*ITTEBERGAE,  
Typis Mullerianis Anno 1608



\*

3







REVERENDO ET EX-  
CELLENTISSIMO VIRO,  
DN. D. POLYCARPO LYSERO, THEOLOGO  
præclarissimo, Illustris: Sax: Electori à consilijs Eccle-  
siasticis & concionatori aulico, nec non super  
attendenti, ac generali Ecclesiarum E-  
lectoratus Saxoniae Visitatori  
solertissimo &c.

MAGNIFICO, NOBILISSIMO ET  
*Excellentissimo Viro Dn. Henrico- Abrahamo ab  
Einsiedel eidem Celsissimo Saxoniae Duci ac E-  
lectoris à consilijs secretioribus &c.*

CONSULTISSIMO ET CLARISSIMO VIRO  
Dn. D. CHRISTOPHORO RICHTERO Jcto præstan-  
tissimo, eidemq; incluto Saxon: Septemviro à  
consilijs aulicis &c.

*Dn. Mecenatibus ac fautoribus meis magnis  
O. & D.*

Andreas Franckenberger.





# RECTOR ACADEMIÆ VVITTEBERGENSIS TOBIAS

TANDLERVS Medicinæ D. & P.P.



*Q*uam acerbum ac durum penè fatum omnium facultatum  
Academia huius professores his paucis annis corripuerit, dū  
multos eorū, eosq̄ non è multis e medio tulit, notius est  
quàm ut pluribus exponi, indignius quàm ut pro merito  
satis disertè deplorari possit. Veruntamen pro re nata, & parata copia,  
felicibus ijs viris verborum honores persoluti sunt diversis & tempo-  
ribus & præconibus, si unum atq̄ alterum excipias, (Scatonem Medi-  
cum dicimus & Hagium Philosophum, viros aequè Clarissimos & me-  
ritissimos) omnibus. Cum autem non ita pridem casus inopinatus &  
certè intempestivus ita tulerit, ut Amplissima dignitatis, Clarissimaq̄  
existimationis vir **LVDOVICVS PERSON** Juriscon-  
sultissimus, eiusdemq̄ Doctor ac professor apud nos dignissimus Dres-  
da, ubi Seren: & Clement: Electori ac Domino nostro à consilijs erat,  
diem suum obierit; Constituit hodie h. 2. pomer. honestate & eruditi-  
one Ornatissimus Juvenis **Andreas Franckenberger Wittebergensis,**  
**Andrea illius Philosophi & Historici Academia nostræ & ipsius Cla-**  
**rissimi Professoris filius,** & tali quidem patre dignissimus, orationem  
habere de illo ipso Ludov. Personio. Quod institutum cum à pietate,  
quam discipulus præceptoris debet proficiscatur, & ipsum Franckenber-  
gerum officio laudabili fungi iudicamus & alios ad eam orationem au-  
scultandam frequentes adesse censemus. P. P. ultima feria. Nativita-  
tis Christi.

Anno M. DC. VII.





**N**on nova, aut absurda consuetudo est eorum memo-  
riam, qui in Rep. magna cum laude prudenter ac sa-  
lubriter versati sunt, ultra vitæ tempus prorogare, &  
funebri elogio ad posteritatem publicè celebrare. Nā  
cum vita humana omnis divinis auspicijs regitur,  
tum nescio quid præclari alienæ virtutis huius confert ad mores  
aliorum informandos, vitamq; benè ac beatè instituendam, ad eò,  
ut quantum mens nostra veris præceptis instruat, tantum vo-  
luntas bonis exemplis confirmetur. Equidem dum an-  
tiquitatis memoriam recordor aliquā, multos homines excellētī  
animo ac virtute naturæ quodam habitu ac potius instinctu divi-  
no video extitisse. Etiam illud adijcio, sepius ad laudem ac virtutē  
doctrinam sine natura, quàm sine doctrina valuisse naturam. Sed  
tamen hoc audeo dicere, cum ad naturam eximiam animūq; do-  
ctrina & litteris excultū accesserit quædam exemplorū insigni-  
um varietas et confirmatio, tum demum nescio quid præclarū  
ac singulare solere existere. Nec verò est aliud virtutis laborumq;  
pro communi felicitate susceptorum in hac quidem vita præmi-  
um aut dignius aut perennius, quam hoc ipsum laudis et gloriæ:  
quo quidem detracto, quid fuisset, quod in hoc tam exiguo vitæ  
curriculo et tam brevi tantis se molestijs homines unquam subje-  
cissent? Quondam cum Joabus Israelitarum belli dux fortissimū  
& integerrimum virū Abnerum per fraudem nefariè interemif-  
set, novus rex David casum virtutemq; ejus deplorare non dedi-  
gnatus est. Atq; idem paulò ante maluit injuriarū sibi à rege Sau-  
lo illatarū oblivisci, quàm in hoc pietatis officio eidē videri defu-  
isse. Sēper hæc pietatis causa plurimū valuit, semper hæc ratio di-  
cendi honestissima fuit, pro viris benè meritis, pro eorum virtute  
labores suscipere, eorumq; memoriam ab hominū oblivione vi-  
dicare. Atq; hæc ipsa consuetudo quàm latè patuerit, videte. Non  
n. solum Ecclesiæ, ex sacris & Ecclesiasticis annalibus, sed & sapien-  
tiori gētilitati ex profanis eam usitatam fuisse conperimus. Testis  
est



est Ilias Homerica, qua licet ille omnis humanae sapientiae  
parens suum Achillem praecipue laudare sibi proposuerit, pluri-  
morum tamen simul fortissimorum virorum, qui tum temporis ex  
Europa Asiaque ad Troiam tanquam ad fortitudinis gymnasium  
publicum, laudumque; nobile emporium cuncti confluxerant, vir-  
tutem aeternis laudibus ad posterorum memoriam transmisit. Te-  
stis est denique; pro multis Roma, quae Pub. Valerium Publicolam  
(ut alia exempla non adducam) funus L. Junij Bruti primi post exa-  
ctos reges consulis, supremo illo orationis funebris honore vidit  
afficientem. Sed quid ego his exemplis, his testibus peregrinis u-  
tor? quasi actu frequenter haec consuetudo sit destituta? Ipsi certe  
hujus auditorij parietes, gemitus quos hic pro plurimorum pra-  
stantium virorum praematuris atque acerbissimis funeribus ef-  
fusus, saepe sustinuerunt, recordari adhuc & testari quodam-  
modo videntur, vestrum neminem hanc operam pijs clari-  
rum virorum manibus denegasse, cum & summa funerum digni-  
tas, & amica animorum societas eam non modo a vobis postula-  
rit, sed ita saepe & ita vehementer postularit, ut aut officium hoc  
vobis fuerit praestandum, aut nomen veteris necessitudinis & ob-  
servantiae repudiandum. Atque; utinam quantum in me doloris & vo-  
luntatis, tantum quoque; esset ingenij & facultatis, quarum rerum  
hic noster eo jure ac merito, quo per studiorum nostrorum in-  
formationem nos sibi devinxit, fructum aliquem repetere posset.  
Verum ita se res habet, ut qui nihil quidem huc nisi perfectum inge-  
nio, elaboratum industria afferri oportere existimo, ipse nec inge-  
nio possim, nec in hoc studij & officij genere multum sim versa-  
tus. Qua in causa tamen me illa res consolatur maxime, quod in  
hoc meo dicendi consilio materia mihi talis oblata est, in qua o-  
ratio nemini deesse potest. Dicendum est enim de viri Amplissimi  
D. Ludo. Personi Icti nobilissimi, Consiliarij Electoralis aulae Sa-  
xonicae dignissimi, ac Juris professoris hujus scholae excellentissimi  
eximia singularique; virtute. Quo in negotio plusculis quidem nunc  
verbis vestrae Patres Academici, vestram quoque Commilitones



benevolentiam & favorem conciliare mihi eniterer, nisi vos-  
metipfos existimarem animadvertere, ipsos defuncti pios ma-  
nes, non iam vos pro me orare, ut orationi meæ non de-  
esse, sed pro seipsis obsecrare, ut huic earum honori supremo  
æquis animis velitis adesse, ut in hoc hominum litteratissimorū  
concurſu tantum orationis meæ simplicitati attentione vestra  
tribuatis, quantum & antiquæ necessitudini & benevolentiae  
& pristinae observantiae, & pio deniq; ac justissimo dolori tri-  
buendum censetis. Atq; illud imprimis jure sibi noster læ-  
tandum vidit, quod in hac ipsa urbe tali patria natus fuit (natus  
est autem pridie Non. Julij anno LV.) quæ ipsa nemini, nisi quis  
ipse sibi dedecori esse possit. Hæc enim urbs est, quæ simul atque  
avorum memoriâ, indulgentiarum omnisq; venalis illius ponti-  
ficiæ religionis taberna ingenti quodam fragore terræ in ea, & de-  
inceps ad eius exemplum in magna Europæ parte per Dei gratiâ  
concidit, præ eminentia quadâ jure suo semper floruit, semperq;  
omnium Christiani orbis puriorum Ecclesiarum mater & geni-  
trix celebrata fuit. Pater huius Magnus Person, veræ religionis  
flagrâs amore & ardore, ex Scotia huc olim profectus fuit, cum  
genere majorumq; gloriâ & divitijs hujus oppidi civis haud qua-  
quam postremus, tum gratia atq; præcipuarum hujus urbis fami-  
liarum amicitijs quàm florentissimus. Erat quippe tum tempo-  
ris hæc urbs amplissimum quoddam totius orbis Christiani thea-  
trum, ad quod variarum nationum homines relictis patrijs sedi-  
bus tum visendi tum permanendi studio confluebant: in qua cū  
verior puriorq; religio feliciori auspicio ac progressu è tenebris  
Romanensibus emerisset, cænoq; atq; fermēto illo Papistico de-  
fecari cupisset, nullus tam inaccessus tam ab omni hominum  
consortio remotus locus erat, quem non hujus civitatis fama  
pervolasset. Pater, qua pietate ac virtute ornatus fuerit, & præ-  
clara liberorum indole & egregijs animorum dotibus, virtuteq;  
eximia satis superq; apparuit. Cum ipsis præpotens Deus nihil  
melius quam rationem concessisset, natura nihil præstantius,  
quam



quàm sanitatem corporisq; cōstitutionem optimam reliquisset,  
fortuna deniq; haud mediocribus divitijs beasset: pater a. omnes  
in pietate vera semper eduxisset, eo autore rationem fortunæq;  
facultates in bon: artium culturam contulerunt; naturæ bonitate  
usi sunt, quo facilius aliquid ad Dei omnipotentis & parentum o-  
ptimorum honorē referre, & ad Reip. emolumētum afferre pos-  
sent. Itaq; factum est, ut pleriq; tantum in illis profecerint, ut sum-  
mo illo omnium studiorum honore digni evaserint, quo tamē  
pars maxima usa quidē est, pars maluit eodem digna videri quàm  
gloriosius uti. Sic ergo noster cum & patria esset gloriosissima in  
hanc lucem editus, ex parentibus pijs & honestissimis natus, ex fa-  
milia deniq; hujus urbis nova quidem illa, sed satis honorata ori-  
undus, nullo modo ipsi deesse potuit cupido ingenij sui præstan-  
tiam, ea qua licuit solertia, per liberalissimarum artium cognitio-  
nem eò majori ardore perpolire. Postquā ex pueris excelsit, atq;  
his artibus quibus ætas illa ad majora præparari consuevit, animū  
humanitate informavit, tanta ingenij gloria antecellere cunctis  
cepit, ut non tam fama eius in litteris profectum quàm ipse pro-  
fectus famam superare videretur. Ac i. omnium in mentem ipsi  
venit, quid negotij sit animum bonis litteris applicare, atque ita  
applicare, ut aliquando etiam aliquid ad communem fructum  
possis afferre: non sibi humanis duntaxat opibus, non arte ma-  
gistra opus esse; omne id quod proficeret, quantumcunq; esset,  
quod certè maximum erat, omne, inquam non ingenij subtilita-  
ti & præcellentia sed divinæ potius bonitati & clementiæ adscri-  
bendum. Idcirco quia in his vitæ laboribus plus divinis auspicijs,  
quàm humanis viribus captisq; tribuendū censebat, semper coe-  
leste auxiliū ardentibus precibus exorabat, semper vias suas uni-  
versas Deo præpotenti commendabat. Et certè qui ita studiorum  
suorum telam texunt, magis ut pietatem quam eruditionem in  
omni vita sectentur, hi non pietatem in eruditione, sed eruditi-  
onem in pietate & quærere & invenire videntur. Deinde ut certā  
haberet metam ad quā omni corporis & animi contentione cō-  
tenderet.



stenderet, maturè mente & cogitatione prospexit, quodnam doctrinæ genus superius & sublimius pro expectatione suorum & magnitudine rerum dignum sequi deberet. Adductus est parentum amicorumq; consilijs, sed & propria ac insita quadam animi inclinatione, & studij deniq; ipsius excellenti dignitate, ut ad Jurispr. animū appelleret. Cæterum iam tum secum expendebat, quàm multa esse oporteat in eo, cujus studia in illa non ignobilibus quibusq; causis patere, sed ad altiorem dignitatis gradum possent aspirare: ex quibus si unum abesset, facile de solidiori eruditione actum esse posse. i. cognitionem artium bonarum præsertim practicarum, aliarumq; rerum, historiarum imprimis, ijs qui in luce pub. versari volunt, utilium. Nihil n. minus tolerandum, quam legum auctoritatem & gravitatem jactare, vel ut Celsus loquitur, verba legum sola tenere, earundem vim & potestatem, seu veritatem & rationem quæ ex Ethices principijs dependent, nescire & ignorare. O divinâ causarum scientiam, ô utilitatem earum maximam! felix qui potuit legum cognoscere causas. Nunquã n. cū temeritate jurisprudentia consistere nunquã ad sapientissimas leges casus temerarius admitti potest. Equidem in nostro spero hoc omnes animadvertisse, eum non modo div: & humanarum rerum cognitionem, imprimis v. illarum artium, quæ in hominum actionibus & vita informandis & gubernandis occupantur, à prima juventute diligentissimam esse sectatum & affectatum, verum etiam in antiquitatis studio ita versatum, peregrinationibusq; varijs (quibus instituta, mores, naturamq; hominū variorum, non faciem: status civitatum, non mœnia aut ædificia sola inspexit) ita exercitatum, ut ejusdem ætatis dignitatis & facultatis aut nemo aut pauci hic essent, qui ipsi non modò non præferri, sed vix conferri possent. Prætereà eum, qui huic juris facultati suam operam & studium dicaret, nec tantum eandem tractare, sed & pertractare vellet, linguarum facundiaq; adjumento opus habere, oportune animadvertit. Duæ enim sunt res, teste apud Thucid: Pericle, quas eos, qui in Rep. aliquando versati



versari cogitant, quàm maximè sectari iuvat, γυνῶναι τὰ δέοντα, καὶ ἑρμηνεύσαι ταῦτα duæq; hinc oriuntur virtutes, quæ eosdem in amplissimo dignitatis gradu olim collocare possunt, quarum altera est, σύνεσις πολιτική, altera δύναμις ἑρμηνευτική, altera fit, ut variarum rerum cognitione possint præstare, altera, ut in dicendi facultate valere; altera mentem stabilit & confirmat, altera orationem regit & exornat. Magna sunt hæc, & nemini, qui non sine compendio in Rep. aliquando versari vult, contemnenda, aliqua prudentiæ civilis comparatio, & rerum optimarum cognitio, aliqua dicendi facultas & exercitatio, ut possis de rebus gravissimis dextrè & promptissimè iudicare, & cum amicorum causas legumq; gravitatem susceperis, tot res, tam graves memoria & oratione sustinere, itaq; causam omnem exponere explicare & demonstrare, ita copiosè graviterq; agere, ut non tantū in iudicijs audiaris, verū etiam libenter studioseq; audiaris. Magnis his in rebus, ut magnū quid aliquando posset, quo paratior & expeditior ad studium & usum forensem accederet, magno noster hic sudore in ipso adolescentiæ flore semper allaboravit. Possem multa dicere de singulari huius viri dicendi facultate, linguarum studio, antiquitatis peritia, in quibus ita vidimus cum probatum, ita penè natura ipsa adiutum, ut literas græcas Athenis non Wittebergæ, Latinas Romæ non in Saxonia didicisse, antiquitates non ex confusa historicorum turba, sed ex gravissimis & probatissimis autoribus hausisse, multa etiam propria experientia & peregrinationibus difficilimis videretur probasse. Sed mihi ante oculos versantur eæ huius viri dignitates, quas in Rep. vel verius pro Rep. gessit, quæ me ad se rapere vidētur, hæc minora relinquere hortantur. Quamquam non est omittenda singularis, quæ in eo fuit, antiquitatis & historiarum memoria, cuius cum in multis, tum maximè in ea, quam de hac ipsa urbe & habuit & edidit oratione, vestigia videmus, non pressa leviter ad momentanei illarum studij indicium, sed fixa ad accuratissimi profectus testimonium. Hæc igitur adminicula, & hanc litterarum humaniorum cognitionem præclaram

B

noster



1.  
noster hic ad eum, cui se antea manciparat, sublimioris juris studij tractationem attulit, & ita attulit, ut priora illa humanitatis studia non pertæsus abijceret, sed respectans relinqueret. Itaq; illis omnibus benè instructus seriatim tandem animi contētione propriū juridici studij iter ingressus, tam convenienti id discendi methodo tanta id celeritate confecit, ut quantum spacii aliorum cursibus tantum hujus passibus peragraretur. Ita profecto est, si navim robusto quidem, sed non ita perito, trajiciendam committas, ipse quidem nonnunquam serò tandem trajiciat, nonnunquam etiam impingat: sin prudenti, qui & viarum compendia & syrtium cognoverit pericula, is & multo tutius, & multo citius tramittat, multoq; plus promoveat sapientia, quàm prior valentia: ita etiam nobiscum fieri solet, ut quia omnes quidem profundo & vastissimo juris pelago nos committimus, non omnes tamen benè trajicere scimus: nonnulli ordine & methodo discendi expedita cum nostro instructi citius illud transvolent, nonnulli eadem destituti, & longè multumq; in mari illo agitati tardius, nonnulli moveant quidem sed non promoveant, plurimi in brevia & syrtis adacti submergantur, non pauci deniq; redire malint sine incommodo, quàm navigare cum periculo. At quale studium noster aggressus est? putes vile & abjectum. Minimè verò: nam id quoq; ad rem pertinere arbitror, quale studium, & quàm sublime & quàm necessarium sit aggressus exponere, & juxtà strictim confutare, quæ sæpè à civilis facultatis osoribus imperitè ogganniuntur, & ab imperitis odiosè jactantur. Hæc enim legum disciplina, cui se noster mancipavit, honestissima, & in vita summè est necessaria, hæc vitæ civilis dux & benè beateq; vivendi magistra, hæc justiciam & æqualitatem, qua vitæ nulla pars non minus quàm aqua & igni carere potest, inter mortales administrat, hæc pacem & tranquillitatem civibus largitur, & ad illam conservandam unicè facit.

Nescio tamen quæ fiat, præ alijs doctrinis omnium ferè maximè, partim imperitè & plus justò affectibus indulgentium, par-

tism



tim dedita opera maligne judicantium morsibus hanc nobilissimam scientiam, cultoresq; ejus Max: Minimos, esse obnoxios. Tantum enim abest, ut jus civile religioni & sacris paginis adversetur (quæ omnium gravissima est illorum accusatio) ut potius apertissimis documentis testatum fieri & evinci queat, istud non tantum non pugnare cum illis, sed mirificè etiam consentire & cōspirare. Equid enim jus civile (quod vel è tribus illis juris nostri principijs sive præceptis, ex quibus reliqua cuncta extracta sunt, dijudicatur) aliud mandat, vetat, præcipit, prohibet, quam quod præpotens Deus omnium mentibus primitus inscripsit, ac in Decalogo postmodum repetendo brevius descripsit? Quocirca quis non animadvertit, iniquissimam esse illorum accusationem, qui autumant, jus Rom. à vera pietate, à vera religione alienum citra impietatem citra conscientie læsionem excoli non posse, cultores ejus plerunq; veræ pietatis contētores, sinceræ religionis ofores, propriæ deniq; salutis prodigos & immemores esse solere. Equidem infiteri non possum, inveniri, qui sanctissimis illis legib. pro sua male feriata libidine impiè & nefarie ad lites prorelandas abutantur; reperiri Erucios, qui honestatis jacturam lucri cupiditati anteponant, fieri Cæcilios, qui prævaricentur potius, quam partis laborantis fortunas vitamq; tueantur. Sed an hoc quod paucorum est vitium, illorumq; improbitati & nequicia adscribendum, id in præstantissimam & innocentissimam disciplinam iniquissimè conferendum est? Nisi forte ipsi Theologia sacrosanctæ imputare velis, quod pleriq; ex ea hæretici evaserint, aut nobilissimæ Medicinæ, quod ea quidam ad necem & hominum perniciem interdum abutantur. Noster certe iusticiæ sacerdos totam studiorum suorum rationem ita & incundam & profecquēdā duxit, ut imitaretur viros, quos in hac urbe ut de alijs non dicā & viderat & fuisse audierat, Hieron: Schurffium, Beustiū, Wetemb: Teuberū, Heigiū aliosq; plurimos, qui tū demū se studia sua juridica benè recteq; tractare cēsebant cū pietatē maximè exercebant; quorū exemplo acerbissimam illam jurisperitis falso

B \*

asperfam



asperfam impietatis maculam opere ipso elusit. Tanto enim ab  
ineunte ætate veræ pietatis (cujus semina à parentibus acceperat,  
& cum lacte materno imbiberat) amore, tanto sincere religionis  
Zelo & ardore, tantumq; ei salus curæ cordiq; erat, ut non vide-  
ri, sed esse pius & bonus voluerit, ut hinc pij Jurisconsulti nomē  
illorum exemplo testimonio omnium, ipsorum etiam Theolo-  
gorum Clarissimorum, ac verbi divini ministrorum, quos sincere  
animi propensione complectebatur, commeritus fuerit. Poste-  
aquam ergo profectum tam egregium in légitimo studio non hic  
tantū, ubi magnos & Claros Jctos audierāt & auscultarat sed & in  
alijs Academijs, Lipsiæ, Ingolstadij, Patavij, Basileæ esset conse-  
cutus, digno tandem laborum à se exantlatorum premio, sum-  
mis nempe in utroq; jure honoribus anno LXXXIV. Basileæ  
affectus & condecoratus fuit. Postea sinistris seu faustis auspicijs  
huc reversus, i. quidem anno 88. Amplis: Facultat: juridicæ Ad-  
junctus, & simul Curie Elect. advocatus: deinde Anno 92. pro-  
fessor juris publicus, & eiusdem Curie Adfessor constituitur. Quo  
sibi demando officio summa semper solertia (quantum per ne-  
gocia publica & summi nostri magistratus licuit) defunctus est, &  
operam omnem, studiaq; sua universa ad discentium & Reip. e-  
molumentum ac salutem in omni vita contulit ac direxit, &  
de hac Acad: et urbe, sed & de universo hoc Electoratu Saxonie,  
omnibus deniq; quibus prodesse & succurrere poterat, magna a-  
lacritate benè mereri sategit. Itaq; his rebus hoc cōsecutus est, ut  
ob ingenij acrimoniã singularem, in differendo subtilitatem præ-  
claram, in dicendo facundiam disertam, in agendo & conversan-  
do candorem & sinceritatem raram ac minimè fucatam, ob benè  
merendi de Rep. & in universon omnibus studium indefessum,  
ob solertiam in officijs sibi commissis maximam, ob summam  
deniq; gravitate conditam humanitatem ac modestiam, morūq;  
elegantiam inusitatam omnib. & singulis charissimus semper &  
gratissimus extiterit. Sed enim hoc singularis Illustrissimi nostri  
Electoris clementiæ fuit, ut ab eius Illustr. Celsit: Viri huius Cla-  
rissimi



rissimi prudentia in supremo illo hujus Septemviratus Appella-  
tionū iudicio ante annos tres & quod excurrit, requireretur, itaq;  
is assessor eiusdem adoptaretur, cuius in consulendo promptitudo  
& celeritas, in iudicando sagacitas, singularisq; tum ex antiquita-  
tis, tum juris civ. studio, tum diuturnis peregrinationibus com-  
parata experientia, in legationibus & causis sæpè gravissimis &  
pub. satis probata essent. Magna in eo facta est mutatio honorū,  
non morū; iamq; videri poterat, omnibus honorib. quasi defun-  
ctus, nec verò sibi persuasū habebat, omnibus se rebus à summo  
nostro Magistratu ornato, tamen ad maxima illa in se merita,  
majorem ulla ratione eorum cumulum accedere posse. Ecce  
autem cum nihil minus speraret, cum sorte sua iam maximè  
contentus viveret, iterum in numero etiam Consiliario-  
rum eius sapientia desideratur, & in consilium aulicum noster  
cooptatur. Quam vocationem cum omninò divinam vi-  
deret, nec verò recusandam iudicaret, quin patriæ, quod deberet  
exolveret, ante annū Mense octo. in aulam Electoralem concessit,  
itaq; ex illa, quæ hîc ipsi demandata erat provincia, non animo  
decedendi sed secedēdi sese recepit, ut nobis omnib. jucundā diu-  
turnāq; officij nominisq; sui memoriā reliquerit. Sic ergò fructū  
omnis antea actæ vitæ cepit maximum, cum omniū iudicio sum-  
mos istos honores est adeptus: ex quò profectò intelligitur, quan-  
ta & Deo præpotenti, & Illustr. nostro Magistratui pro omnib. il-  
lis beneficijs debeatur gratia, cum ei in quem sunt profecta, tanta  
constiterit gloria. Est verò fortunatus ille, qui ita se honesto litte-  
rarum otio tradidit, ut ex hoc possit aliquid aut ad comunem fru-  
ctum afferre, aut in conspectum lucemq; proferre, cuius ex consi-  
lijs maior ad Remp. quàm ad seipsum redundarit utilitas. Quod  
quidem amplissimum & gravissimum consiliarij officium nostro  
Personio merito & jure optimo contigit. Quis enim eo fuit aut  
pietate, aut politica prudentia & rerum experientia, aut justiciæ  
& concordia studio, mansuetudine, nostræ deniq; Reip. nostræ  
autem? imo aliarum etiā plurimarum noticia, (quæ bonorum cō-  
filiorum



filiorum scaturigo est) aut ullo genere laudis præstantior? Atq; u-  
tinam quidem in hoc sublimi munere iam constituto diutissimè  
vivere licuisset. Quod ipsum etsi ad nostrum non pertinebat, ad  
Remp. certe pertinuit, talem sibi adesse virum, qui in bono suo  
promovendo defatigari noluerit, cuius laudem nulla sit obscura-  
tura vetustas. Verum hæc felicitas nec diuturna nec propria fuit.  
Nam cum iam se ad reditum accingere videretur, (non enim hinc  
decesserat, ut illic remaneret, sed concesserat, ut suo tempore huc  
rediret) quò novissimum nostræ Academiae vulnus sanaret, mo-  
ritur d. 19. Octo. hujus anni, & moritur apoplexia, quod mortis ge-  
nus familiæ eius tanquã familiare & hæreditariũ fuit. Credo in  
hoc ipso nõ obscura fuit viri hujus vitæ anteaactæ pietas, eũ mortis  
tanta insecuta est celeritas & felicitas, qui ne mori quidem ita po-  
tuit, ut diuturnos mortis dolores sentiret, quin placide ex hac vita  
in alteram beatam transfret, ut cum Wittebergam nostram terre-  
strem rediturus videretur, in caelestem avocaretur. Non enim po-  
test, non potest male mori, qui vixit bene: mali quidem certe à  
pio homine in morte nil timendum, ne suspicandum quidem,  
boni quid ab impio rarò sperandum. Hic verò præmaturus & in-  
tempestivus Viri hujus obitus non domui dantaxat suæ, conjugii,  
liberis, cognatis, affinibus & amicis luctuosissimus, sed toti nostræ  
Academiae gravissimus & moestissimus accidit: illi patremf. opti-  
mum, maritum lectissimum, patrem charissimum, familiæ fun-  
damentum & splendidissimum ornamentum amisere: Vos patres  
Academici collegam exoptatissimum; nos discētes præceptorem  
fidelissimum: luctum illi ex viri hujus morte hauserint majorem,  
dolorē animi nos nõ minorem. Nihil dico de mærore, qui Remp.  
qui illustr: nostros Magistratus qui aulae Electoralis totius proceres,  
quorũ quãvis multos nominatim proferre possem, omnes deniq;  
bonos insecutus est: nihil, inquã, de eo mærore dico, qui ex morte  
viri huius ortus, qui eo fato natus est, ut ne mori quidem potuerit,  
quin omniũ animos ingēti luctu compleuerit, ut dubitare nemo  
possit, quin nõ minor ex morte moestitia, quã ex salute lætitia ad  
omnes



omnes devenerit. Parumne igitur gloriæ reliquit? solum gloriæ vi-  
xit? imò satis gloriæ, addo etiam, si placet, naturæ. Nam qui non  
modò ita vivit, ut amorem & benevolentiam omnium sibi auxilijs  
& consilijs suis conciliet, verum etiã ex vita ita decedit, ut magnũ  
sui desiderium pro perpetuis in Remp. meritis apud omnes relin-  
quat, is demum stabile laudis veræ monumentũ relinquit nõ ære  
quidẽ aut saxo positũ ad brevẽ tẽporis memoriã, sed in totius po-  
steritatis animis relictũ ad prædicationem sempiternam. At quod  
maximum est, patrię, suis, nobis deniq; ipsis vixit parum: omnia ei  
sua opera erant juvanda, Academię vulnus novissimum sanandũ,  
soboles propria educenda, scholastica erudienda, Rcip. deniq; toti  
succurrendum. Fuit ergò noster, fuit  $\alpha\omicron\iota\upsilon\delta\upsilon\upsilon$  quoddam  $\alpha\gamma\alpha\delta\omicron\upsilon\upsilon$ , fuit  
Rcip. Præsidium, fuit justiciæ domicilium, fuit juris asylum, fuit  
prudentię civilis thesaurus, fuit deniq; boni consiliarij, boni pro-  
fessoris, boni ac pij Icti, boni viri & boni civis exemplum, quem  
omnes boni meritò gravissimè dolent. ò mors quibus viris nos tã  
subitò orbasti? Ecce enim vix dum etiam in animis nostris defere-  
buerat ac nõ nihil remiserat dolor justissimus, quem superioribus  
m: obitu Reverendissimi Dn. D. Georgij Mylij Pastoris, & excel-  
lentissimi Dn. D. Ioh: Zangeri Ordinarij  $\tau\omicron\upsilon\upsilon \epsilon\upsilon \mu\alpha\kappa\alpha\rho\epsilon\iota\omicron\iota\varsigma$  concepe-  
ramus, (ut anteriora illa funera non minus intempestiva reticeã),  
cum nihil minus metueremus, in dolorẽ iterum novum & ino-  
pinatum conjecti sumus. Quid autem? hæc nonne prodigia sunt  
futuri alicujus mali maioris & nunciij iræ divinæ? quod intra tam  
exiguum tempus tot præstantissimorum virorum morte hæc A-  
cademia (quod à primis eius usque incunabulis factum non sci-  
mus) fuerit afflicta. Mehercle hæc ipsa tantorum virorum tan-  
ta jactura quoties in mentem venit (venire autem sæpius debet)  
portendere quippiam videri debet isthoc deploratæ & ruinam  
minitantis Rcip: nostræ Germanicæ tempore turbulentissimo,  
quæ si unquam, hoc maximè rerum omnium statu periculosis-  
simo



Zd 2198 OK

simo clarorum & prudentum virorum praesidio & copia opus ha-  
 bere videtur. Quid v. nobis o Aud: his gravissimis temporibus tot  
 tantisque bonis nobis orbatis agendum? Ad Deum misericordem  
 confugientes & veram poenitentiam agentes oremus serio, ut re-  
 missis peccatis iram suam clementer a nobis avertat, poenas praes-  
 entes mitiget, futuras auferat, ut parcat nobis reliquijs haeredi-  
 tatis suae, ut dulcissimam patriam Germaniam porrò dilectae Ec-  
 clesiae suae hospicium esse faciat. Ipse miserebitur nostri, sicut pater  
 filiorum, & conservabit ac proteget Germaniam nostram, Rēp.  
 & scholas, ac in illis etiamnum deinceps praestantia & salutaria da-  
 bit organa in omnibus vitae statibus, quae pietate, sapientia &  
 caeteris virtutibus alios praeeant, quae vera sint praesidia pub. utili-  
 tatis, quae consilia omnia iuxta normam divini & humani juris  
 sapienter pie & feliciter gubernent. Misere & hujus scholae, o  
 benigne pater, & fac vulnera Corpori nostro Academico inflicta  
 coeant iterum atque consolidentur. Tu n. es Deus qui percutis & al-  
 ligas iterum, qui vulneras & sanas, qui mortificas, & vivificas, qui  
 deducis ad inferos & reducis. Respice nos propter Mediatorem,  
 propter nominis tui gloriam, propter hostes scholae huius, & con-  
 cede in posterum tranquillitatem & alcedonia, nec sine caetum  
 huc honestissimum & splendidissimum lue pestifera (quae undique  
 & undique nos circumstat) aut alijs tempestatibus dissipari, ut te  
 aeternum Deum cum filio & sanctissimo Spiritu pro his ingentibus  
 beneficijs celebremus in hoc & futuro seculo. Tibi regi immorta-  
 li soli sapienti Deo sit laus, honor & imperium sempiternum.

Dixi.



n.c.







Handwritten text in Gothic script, including fragments like 'L', 'IV', 'UEN', 'in i', 'llar', 'Dn.', 'S. R.', 'à', 'M', 'AB', 'Ty'.



Printed text in Gothic script, including fragments like 'A', 'ON', 'EL-', 'ORIS', 'rgensi', 'c. Dn.', 'onia', 'ri &c.', 'Ca-', 'feria', 'ERO'.

Z d  
2198



TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

